



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

7. Vita hominis, lampas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

De lanea & cerea effigie Horatius lib. 1. Sat. 8. & constat experientia, occultis flammis è Stygio rogo raptis non raro vetitos amores per striges accendi, malèque corpora, animosque depasci. Maro loc. cit.

Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.

Cave, quisquis amas & ardes; fatalem in te geris foculum, cujus fomes sunt aures & oculi, flabellum lingua, titiones, impuri tactus, pruna incauta conversatio, ignis libido, cinis perditio. Venus ut pestilentius urat, adjuutores adhibet ciniffones Acheronticos, lenones & lenas, magos & sagas, qui primos nocendi aditus aperiunt per incantamenta, illis maximè timenda, quorum fœda cupiditas etiam per superstitiones ad desideratæ voluptatis flagitium tendit.

VII. (g) Si tamen à Poëticis figmentis, lubet fatalem Meleagri torrem ad naturam, & mores inde deductos transferre, negari non potest, vitam nostram igni similem, paulatim consumi & extinguï. *Lucerna Domini spiraculum hominis*, ait in Proverbiis Salomon c. 20. Id est, spiritus vitalis, seu vita hominis, quasi lumen aut radius ab æterno illo Sole derivatur & dimanat. Et sicut lucerna alitur oleo & aëre, eoque deficiente extinguitur; sic vita conservatur *humido*, quod vocant, *radicali*, & spiritu, sive halitu, quo deficiente deficit & emoritur. Rursus quemadmodum lucerna una accendit aliam, sibi vicinam; sic pater vitam suam communicat cum filio. Unde Plato lib. 6. de legib. *Gignentes*, inquit, & *alentes liberos, vitam tanquam lampada tradunt aliis aliis*. Hinc sponsis olim in nuptiis accensæ tædæ præferri solitæ, significabant, lumen vitæ prolibus gignendis impertiendum. Inde Prometheus ignem è cælo furatus, eumque corporibus seu statuis à se factis, indidisse, & illas animasse fingitur. Atque hanc lucernam immaturè sæpius extinguunt cum filij, temulentiam, incontinentiam, iracundiam, contumaciam in progenitores, cæterisque adolescentiæ vitiis abruptentes annos vitæ; tum etiam parentes, *quorum iniquitatem Deus reddit super filios, in tertiam & quartam generationem Deut. 5. Præsertim imprecationes matrum, juxta illud. Ecclesiastici c. 3. Benedictio patris firmat domos: maledictio autem matris eradicat fundamenta*, id est, sobolem ac familiam, eiusque opes & honores diris devotionibus delet, & instar facis aut titionis extinguit, quod Althæa Meleagro fecit.



(g) Vita hominis, lampas.

SYM-